

SERMO CCLXIV.

De Ascensione Domini, IV.

*Prodit nunc primum ex veteri Vindocinensis Abbatiae codice,
annorum fere 800.*

I. **MULTA** sunt divinarum Scripturarum recondita sacramenta, sive quæ adhuc nos ipsi quærenda habemus, sive quæ jam humilitati nostræ Dominus revelare dignatus est: sed aperiendi hæc Sanctitati Vestræ tempus non sufficit. Novi enim maxime his diebus impleri ecclesiam talibus, qui citius vellent discedere, quam venire; et onerosos nos habent, si aliquando diutius colloquamur: qui tamen in prandiis suis, ad quæ festinant, si teneantur usque ad vesperam, nec laborant, nec recusant, nec saltem aliquando ullo pudore discedunt. Tamen ne fraudemus eos, qui esurientes veniunt, etsi breviter, non tacebimus hujus rei sacramentum, quod Dominus noster Jesus Christus cum eo corpore, in quo resurrexit, ascendit.

II. Sane propter infirmitatem Discipulorum suorum; (non enim deerant etiam in illo numero, quos diabolus infidelitate tentaret, ita ut quidam Discipulus ejus in ipsa specie in qua noverat, non tamen magis fidem haberet viventibus membris, quam recentibus cicatricibus:) ergo ad eorum confirmationem dignatus est post resurrectionem vivere cum illis quadraginta diebus integris, ab ipso die passionis suæ usque in hodiernum diem, intrans et

exiens, manducans et bibens, sicut dicit Scriptura¹; confirmans hoc redditum esse oculis eorum post resurrectionem, quod ablatum erat per crucem. Verumtamen non illos voluit in carne remanere, nec carnali dilectione diutius retinere. Eo enim animo volebant eum esse semper carnaliter secum, quo animo etiam Petrus timebat eum pati. Videbant enim secum magistrum, confortatorem et consolatorem et protectorem hominem, quales videbant se ipsos. Si tale aliquid non viderent, absentem credebant; cum ubique ille majestate sit præsens. Tuebatur autem eos revera, quemadmodum ipse dicere dignatus est, tanquam gallina pullos suos. Sicut enim gallina propter infirmitatem pullorum et ipsa infirmatur². Si enim recordamini, ante oculos nostros sunt tantæ aves, quæ pullos faciunt; non videmus aliquam avem infirmari cum pullis, nisi gallinam: et ideo de illa Dominus similitudinem duxit; quia propter infirmitatem nostram et ipse susceptione carnis infirmari dignatus est. Oportebat autem ut erigerentur aliquantum, et jam inciperent eum spiritaliter cogitare, tanquam Verbum Patris, Deum apud Deum, per quem facta sunt omnia: et non eos sinebat caro, quam videbant. Proderat ergo illis confirmari in fide per conversationem ejus secum quadraginta diebus: sed plus proderat eis, ut se ab oculis eorum subtraheret; et qui in terra tanquam frater conversatus fuerat, de cælo tanquam Dominus subveniret; discerentque illum cogitare secundum Deum. Hoc enim Evangelista Joannes sonuit: si quis advertat, si quis intelligat. Ait enim Dominus: « Non turbetur cor vestrum. Si me diligeretis, » inquit, gauderetis, quia vado ad Patrem; quoniam » Pater major me est³. » Et alio loco dicit: « Ego et Pater unum sumus⁴. » Tantamque sibi æqualitatem vin-

¹ Act. 1, 3. — ² Matth. xxiii, 37. — ³ Joan. xiv, 1 et 28. — ⁴ Id. x, 30.

dicat, non rapina, sed natura, ut hoc diceret cuidam Discipulo dicenti sibi: « Domine, ostende nobis Patrem, » et sufficit nobis: » et ille, « Philippe, tanto tempore » vobiscum sum, et Patrem nescitis? Qui me vidit, vidit » et Patrem¹. » Quid est, « Qui me vidit? » Si secundum oculos carnis, viderunt et qui crucifixerunt. Quid est ergo, « Qui me vidit, » nisi qui intellexit, qui oculo cordis vidit. Quomodo enim sunt aures interiores, quas quærebat Dominus, cum diceret: « Qui habet aures audiendi, » audiat², » cum ante illum nullus surdus staret: sic est etiam aspectus interior cordis, quo si quis viderat Dominum, viderat Patrem: quia æqualis est Patri.

III. Audi Apostolum volentem nobis commendare misericordiam ipsius, quia propter nos infirmatus est, ut sub alis suis pullos colligeret, docens alios etiam Discipulos, ut et ipsi compaterentur infirmitati infirmorum, qui ad aliquam infirmitatem de infirmitate communi ascendissent: cum ille de cœlesti firmitate ad infirmitatem nostram descenderit: ait illis: « Hoc sentite in vobis, quod et in Christo » Jesu³. » Dignamini, inquit, imitari Filium Dei per compassionem cum parvulis. « Qui cum in forma Dei esset. » Jam dicendo: « In forma Dei esset, » æqualem ostendit Deo. Non enim forma minor est quam ille cujus forma est. Si enim minor est, forma non est. Tamen ne aliquis dubitaret, adjecit, et posuit ipsum Verbum, unde ora sacrilegis clauderet: « Qui cum in forma Dei esset, inquit, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo⁴. » Quid est, fratres charissimi, quod ait Apostolus: « Non rapinam arbitratus est? » Quia naturaliter æqualis. Cui ergo erat rapina æqualitas Dei? Primo homini, cui dictum est: « Gustate, et eritis sicut dñi⁵. » Voluit per rapinam ten-

¹ Joan. xv, 8, 9. — ² Matth. xi, 15. — ³ Philip. ii, 6. — ⁴ Ibid. 6. — ⁵ Gen. iii, 5.

dere se ad æqualitatem, et per pœnam perdidit immortalitatem. Ille enim cui rapina non erat, « Non rapinam » arbitratus est esse æqualis Deo. » Si ergo non rapina, natura, integra societas et summa ipsa comparatio. Sed quid fecit? « Semetipsum, ait, exinanivit formam servi » accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu » inventus ut homo: humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis¹. » Parum erat dicere mortem, et genus mortis ostendit. Quare et genus mortis? Quia multi ad mortem sunt parati: multi enim dicunt: Non timeo mori, sed vellem in lectulo meo mori, circumdatus filiis, nepotibus, lacrymis uxoris. Mortem quidem videntur isti non recusare, sed eligendo genus mortis, de timore puniuntur. Ille autem elegit genus mortis, sed quod est deterius omnibus. Quomodo sibi eligunt homines melius genus mortis, sic ipse deterius elegit, hoc quod execrabile erat omnibus Judæis. Non enim timuit mori per falsos testes, per sententiam judicis, qui veniet judicare vivos et mortuos: non timuit mori per ignominiam crucis, ut omnes credentes ab omni ignominia liberaret. « Ergo factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: » tamen naturaliter æqualis Deo; fortis in virtute majestatis, infirmus compassione humanitatis; fortis, ut faceret omnia; infirmus, ut reficeret omnia.

IV. Quod ergo ait Joannes attendite: « Si diligeretis » me, gauderetis, quia vado ad Patrem; quoniam Pater » major me est². » Quomodo æqualis, sicut dicit Apostolus? Sicut ipse Dominus: « Ego et Pater unum sumus³. » Et alio loco: « Qui me vidit, vidit et Patrem⁴. » Quomodo hic, « Quia Pater major me est? » Vox ista, fratres, quantum Dominus aspirat advertere, quodam

¹ Philip. ii, 6-8. — ² Joan. xiv, 28. — ³ Id. x, 30. — ⁴ Id. xiv, 9.

modo exprobrantis fuit et consolantis. Fixi enim erant in homine, et Deum cogitare non poterant. Tunc enim cogitarent Deum, si ab illis et ab eorum oculis homo auferretur, ut amputata familiaritate quæ cum carne erat facta, discerent vel absente carne Divinitatem cogitare. Ergo hoc eis ait: « Si me diligeretis, gauderetis, quia » eo ad Patrem. » Quare? Ut cum eo ad Patrem, possitis me cogitare æqualem Patri¹. Propterea enim « major me » est: » adhuc cum videtis me in carne, adhuc major me est Pater. Videte si suscepistis: non enim noverant nisi hominem cogitare. Hoc dico aliquanto planius, propter fratres nostros tardiores: qui autem intellexerunt, ferant tarditatem cæterorum, et imitentur ipsum Dominum: « Qui cum in forma Dei esset, humiliavit se, factus obediens usque ad mortem. Si me diligeretis, » quid est hoc? « Si me diligeretis, gauderetis, quia eo ad Patrem. » Si me diligeretis, » quid aliud est, quam non me diligitis? Quid ergo diligitis? Carnem quam videtis. Ipsam enim non vultis ab oculis discedere. « Si autem me diligeretis: quid est me? In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum²: » quod ait ipse Joannes. Si ergo sic me diligeretis, quomodo per me facta sunt omnia, « Gauderetis, quoniam vado ad » Patrem. » Quare? « Quoniam Pater major me est. » Adhuc cum me videtis in terra, major me est Pater. Discedam ab oculis vestris; tollatur ab aspectibus caro mortalis, quæ propter vestram mortalitatem suscepta est; indumentum hoc, quod humilitate suscepi, incipiat non videre; levetur tamen in cælum, ut discatis quid speretis. Non enim dimisit hic ipsam tunicam, quam hic voluit indui. Nam si hic illam dimisisset, desperarent omnes de resurrectione carnis. Modo enim levavit eam in cælum,

¹ Vide lib. I de Trinitate cap. VII. — ² Joan. I, 1. — 3-5. n. q. 1111

et sunt qui dubitent de carnis resurrectione. Si Deus in se illam ostendit, homini negaturus est illam? Deus enim accepit illam miseratione, homo autem conditione. Et tamen ostendit illam, confirmavit illos, et levavit illam. Subducto autem ab oculis carnali aspectu, jam illi hominem non viderunt. Si quid erat in cordibus eorum tractum de desiderio carnali, quasi contristatum est in ipsis. Congregati sunt tamen in unum, et coeperunt orare. Ille autem missurus erat post istum decem diebus interpositis Spiritum sanctum, ut Spiritus sanctus impleret eos amore spiritali, auferens eis desideria carnalia. Faciebat eos jam sic intelligere Christum quomodo erat Verbum Dei, Deus apud Deum, per quod facta sunt omnia. Non autem possent impleri tali intellectu, nisi carnalis charitas ab eorum oculis discessisset. Et ideo dixit: « Si me diligeretis, gauderetis, quia eo apud Patrem; quoniam Pater major me » est. » Secundum hominem major me est, æqualis secundum Deum: æqualis secundum naturam, major secundum Filii misericordiam. Humiliavit enim eum, non infra se tantum, sed et infra Angelos¹, sicut Scriptura dicit. Non est minor; et si aliquantum susceptione carnis ab æqualitate Patris videtis recessisse Filium, unde nunquam recedit: sed accipiendo carnem, (accepit enim hominem,) non mutatus est. Quomodo qui accipit vestem, non vertitur in vestem, sed manet ipse integer homo intus: et si senator accipiat vestem servilem, si forte non potest intrare ad consolandum aliquem in carcere compositum cum ipsa senatoria veste, accipit habitum carceris, videtur sordidus habitus per humanitatem, sed intus manet dignitas senatoria tanto magis integra, quanto majore misericordia voluit quod humilitatis erat induere. Sic et Dominus manens Deus, manens Verbum, manens sa-

¹ Psal. VIII, 6.

piencia, manens virtus divina, manens in gubernatione caelorum, manens in administratione terrarum, implens Angelos, totus ubique, totus in mundo, totus in Patriarchis, totus in Prophetis, totus in omnibus sanctis, totus in utero Virginis, ad induendam carnem, ad conjungendam sibi tanquam sponsam, ut procederet de thalamo suo sponsus, ut desponsaret Ecclesiam virginem castam. Ad hoc ergo minor Patre, quia homo: æqualis autem Patri, quia Deus. Tollite ergo de medio desideria carnalia. Tanquam hoc diceret Apostolis suis: Non vultis me dimittere: (quomodo unusquisque non vult dimittere amicum suum, tanquam dicens: Esto nobiscum aliquantum, refrigeratur anima nostra quando te videmus:) sed melius est ut istam carnem non videatis, et divinitatem cogitetis. Tollo me a vobis exterius, et me ipso impleo vos interius. Numquid enim secundum carnem et cum carne intrat in cor Christus? Secundum divinitatem possidet cor: secundum carnem per oculos loquitur ad cor, et admonet foras; habitans intus, ut interius nos convertamur, et vivificemur ex ipso, et formemur ex ipso; quia forma est omnium infabricata.

V. Ergo si quadraginta dies fecit cum Discipulis suis, non sine causa quadraginta dies fecit. Forte sufficerent viginti, sufficerent triginta: quadraginta dies dispensatio est totius hujus sæculi. Aliquando inde tractavimus propter denarium numerum quater ductum. Commemoro vos qui audistis. Denarius enim numerus totam sapientiam significat. Hæc sapientia dispensata est per quatuor partes mundi, per totum orbem terrarum: et tempora quadri-faria dispositione dispertiuntur. Nam annus quatuor tempora habet: et mundus quatuor cardines habet. Decem ergo quater ducti quadragenarium numerum habent. Ideo autem quadraginta diebus jejunavit Dominus, ostendens

nobis abstinentiam ab omni corruptione esse debere fidelibus, quandiu sunt in hoc mundo. Quadraginta diebus jejunavit Elias, gestans personam prophetiæ, ostendens quia et in prophetia hoc docetur. Quadraginta diebus jejunavit Moyses, qui gerebat personam Legis, ostendens quia et in Lege hoc docetur. Quadraginta annis ductus est populus Israël in eremo. Quadraginta diebus arca in diluvio fluctuavit, quæ arca Ecclesia est: lignis imputribilibus facta, ligna imputribilia sunt animæ sanctorum et justorum: habens tamen animalia munda et immunda; quia quandiu vivitur in hoc sæculo et per baptismum tanquam per diluvium Ecclesia purgatur, non potest nisi habere bonos et malos: ideo arca illa et munda et immunda habebat. Sed posteaquam exivit inde Noë, non fecit sacrificium Deo nisi de mundis animalibus. Unde debemus intelligere quia in arca ista et munda et immunda animalia sunt, sed post diluvium istum non accipit Deus nisi eos qui se mundaverunt. Ergo totum hoc tempus quod videtur, fratres, pro quadraginta diebus habetote. Totum hoc tempus, quandiu hic sumus, arca est in diluvio: quandiu baptizantur Christiani et per aquam mundantur, natate videtur arca in fluctibus, quæ quadraginta diebus in aqua versabatur. Dominus autem manens cum Discipulis per quadraginta dies, significare dignatus est quia per istud tempus necessaria est omnibus fides Incarnationis Christi: quæ infirmis est necessaria. Si esset jam oculus, qui videret « In principio erat » Verbum, » qui videret, qui teneret, qui amplecteretur, qui frueretur, non opus erat ut Verbum caro fieret et habitaret in nobis: sed quia ad illud tenendum et fruendum excæcatus erat oculus interior pulvere peccatorum, jam non erat unde intelligeretur Verbum; quod dignatus est caro fieri, ut mundaretur quo possit postea

videri, quod modo non potest. Quia ergo dispensatio carnis Christi huic vitæ fidelibus necessaria est, per quam tendant ad Dominum; cum autem ventum fuerit ad speciem illam Verbi, omnis carnalis dispensatio non erit necessaria: ideo conversatio ipsius in carne post resurrectionem per quadraginta dies erat necessaria, ut demonstraret tandiu esse necessariam fidem Incarnationis Christi, quandiu in ista vita docetur arca in diluvio fluctuare. Ecce quod dico, fratres: credite in Jesum Christum natum de Maria virgine, crucifixum resurrexisse. Non opus est ut interrogemus post istud sæculum, quia jam illud accepimus in fide: tenemus illud; infirmitati nostræ necessarium est. Putate ergo charitatem gallinæ illius, quæ protegit infirmitatem nostram: putate esse jumentum misericordis illius transeuntis, in quod levavit languidum, qui vulneratus erat¹. Levavit enim illum, quo? In jumentum suum. Jumentum Domini caro est. Ergo cum transierit hoc sæculum, quod tibi dicitur? Quia recte credidisti in carnem Christi, modo fruiere majestate et Divinitate Christi. Necessarius fuit infirmus infirmo, necessarius erit fortis forti.

VI. Quia et tu deponere habes ipsam infirmitatem, juxta quod audisti in Apostolo: « Oportet corruptibile hoc » induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalem. Quia caro et sanguis, ait, regnum Dei non possidebunt². » Quare non possidebunt? Quia non resurget caro? Absit: resurget caro, sed quid fit? Immutatur, et fit ipsa corpus coeleste et angelicum. Numquid carnem habent Angeli? Sed hoc interest, quia ista caro resurget, ista ipsa quæ sepelitur, quæ moritur; ista quæ videtur, quæ palpatur, cui opus est manducare et bibere, ut possit durare; quæ ægrotat, quæ dolores pati-

¹ Luc. x, 33. — ² I Cor. xv, 50-53.

tur, ipsa habet resurgere, malis ad poenas sempiternas, bonis autem ut commutentur. Cum fuerit commutata, quid fiet? Jam corpus coeleste vocabitur, non caro mortalis: quia, « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. » Mirantur autem si facit Deus de carne corpus coeleste, qui de nihilo fecit omnia. In carne constitutus Dominus de aqua vinum fecit, et mirum est si de carne corpus coeleste facere potuerit? Nolite ergo dubitare de Deo quia potens est illud facere. Angeli ut essent nihil erant, sed ipsius majestate sunt quod sunt. Qui potuit te facere cum non esses, non potest reparare quod fueras, et non potest dare honorem claritatis fidei tuæ propter ipsam incarnationem suam? Ergo cum transierint ista, veniet nobis illud quod ait Joannes: « Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut est¹. » Ad istam visionem vos parate, interim quandiu in carne estis credite in Christum incarnatum; et sic credite, ut non putetis seductos vos esse aliqua falsitate. Nunquam enim mentitur veritas: nam si mentitur, quo imus ad consilium? quid facimus? cui nos credimus? Ergo veritas, Verbum verum, sapientia vera, virtus Dei vera. « Verbum caro factum est², » vera caro. « Palpate, et videte, ait, quia spiritus ossa et nervos non habet, sicut me videtis habere³. » Vera enim ossa erant, veri nervi, veræ cicatrices: verum quidquid tangebatur, verum quidquid intelligebatur. Tangebatur homo, intelligebatur Deus: tangebatur caro, intelligebatur sapientia: tangebatur infirmitas, intelligebatur potentia. Totum verum. Tamen deinde caro in cœlum præcessit, id est, caput. Sequentur cætera membra. Quare? Quia oportet

¹ I Joan. iii, 2. — ² Joan. i, 14. — ³ Luc. xxiv, 39.

ut dormitionem accipiant membra ista aliquantum, et resurgant tempore suo omnes. Si et Dominus tunc vellet resurgere, non esset in quem crederemus. Ideo voluit primitias dormientium liberare¹ Deo in se ipso, ut cum in illo videres quod redditum est, in te sperares quod donandum est. Erit omnis populus Dei æquatus Angelis et sociatus. Nemo ergo vobis dicat, fratres : Credunt stulti Christiani quia caro resurget : quis resurgit ? aut quis resurrexit ? aut quis huc inde venit ab inferis, et dixit vobis ? Christus inde venit : o miser, o cor humanum perversum et præposterum. Si avus ipsius resurgeret, crederet illi : Dominus mundi resurrexit, et non vult credere.

VII. Tenete itaque, fratres mei, veram, germanam, catholicam fidem. Filius æqualis est Patri, donum Dei Spiritus sanctus æqualis est Patri, et ideo Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus, non tres dii : non gradibus sibi adjecti, sed majestate adunati, et unus Deus. Sed Filius tamen propter nos : « Verbum caro factum est et » habitavit in nobis. Nam rapinam arbitratus est esse » æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi » accipiens, et habitu inventus ut homo. » Et ut noveritis, fratres, quia vere Trinitas ista æqualis est, et non est dictum quia « Pater major me est, » nisi propter carnem, quam suscepit Dominus : quare de Spiritu sancto nunquam dictum est : Minor est, nisi quia ipse non suscepit carnem ? Videte quid dixi : perscrutamini omnes Scripturas, levate omnes paginas, legite omnes versus ; nunquam invenietis quia Spiritus sanctus minor sit quam Deus. Ille ergo dictus est minor, qui propter nos factus est minor, ut per illum nos efficeremur majores.

¹ Forte libare.

SERMO CCLXV¹.*De Ascensione Domini, V.*

I. SOLEMNITATE diei hujus admonemus scientes, instruimus negligentes. Ascensum Domini in cœlum hodie solemniter celebramus. Dominus enim Salvator noster, posito corpore, et recepto corpore, posteaquam resurrexit a mortuis, exhibuit se Discipulis viventem, quem desperaverant morientem. Posteaquam se reddidit oculis intuendum, manibus contrectandum, ædificans fidem, exhibendo veritatem ; quoniam parum fuit humanæ fragilitati et infirmæ trepidationi tam magnum miraculum uno die exhibere, et inde subtrahere ; conversatus est cum eis in terra, sicut audivimus cum liber Actuum Apostolorum legeretur, conversatus est cum eis in terra quadraginta diebus, intrans et exiens, manducans et bibens² : ut exhiberet veritatem, non quod haberet necessitatem. Ipso ergo quadragesimo die, quem hodie celebramus, eis videntibus, et videndo deducentibus, ascendit in cœlum.

II. Tunc ergo posteaquam id quod videbant ascendere mirabantur, sursum tamen ire gaudebant ; capitis enim præcessio, spes membrorum est ; audierunt et angelicam vocem : « Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum ? » Hic Jesus sic veniet, quemadmodum vidistis eum eun-

¹ Alias 6 inter additos a Parisiensibus. — ² Act. 1, 3.